



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Quomodo sanctissimum hoc Sacrificium Patri æterno sit offerendum.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

*Quomodo sanctissimum hoc Sacrificium Patri  
aeterno sit offerendum.*

**I**Nter omnes Missæ partes, in quibus major consolationis & gaudii spiritualis materia sita est, præcipuum est id, quando peractâ jam elevatione Sacerdos innocentissimum agnum, qui aufert peccata mundi, Deo Patri offert piam hanc orationem recitans: *Unde & memores Domine nos servi tui, sed & plebs tua sancta ejusdem Christi Filii tui Domini nostri, tam beate passionis, nec non & ab inferis resurrectionis, sed & in celos gloriose ascensionis offerimus præclara Majestati tue de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vite æternæ & calicem salutis perpetuæ.* Hæc S. Matris Ecclesiæ verba & Sacerdos & Missam audiens cum plenissima fiducia & summo cordis gaudio ac solatio exprimere debet sciens, quod Deo Patri offerat rem in oculis tuis pretiosissimam, scilicet illum, de quo dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matth. 3. Per quem omnia impetrari possunt & debent. NB. hinc reflectere potes ad id, quod specialiter petis, & tunc continuare orationem in Missa sequentem.

*Supra que propitio ac sereno vultu respicere digneris & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justî Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrabæ, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech, sanctum*

*sacrificium immaculatam hostiam.* Si jam vetera illa Sacrificia, quæ non nisi umbra & figura fuerunt Sacrificii nostri, respexit Deus. Quomodo respiciet ipsum sibi oblatum filium? qui jam inde à primo ineffabilis incarnationis suæ instanti velut omnium prædestinatorum, qui in libro vitæ, id est, divino intellectu scripti sunt, caput se statim obtulit ad patris sui voluntatem in omnibus, quæ mandaret, adimplendam ut mereretur non sibi gratiam & gloriam sive visionem beatificam, quam jam habebat, sed nobis. Solâ hâc tunc factâ oblatione infinitum promeruit, & infinitis mundis gratiam & gloriam acquisivit. Sicut & omni postea cogitatione, verbo, opere, passum aut pedum motu utpote actionibus theandricis & infiniti pretii. O si celebrans & Sacrum audiens vivaci hoc fide penetraret! quantis se thesauris ditaret vel in una Missâ remissionem peccatorum & gratiam multiplicem impetrans. Sed hoc sanguineis deplorandum lacrymis. Quod, dum in casu, quo tantum homo unam Missam celebrare vel audire posset totâ vitâ suâ, illi utique ad animam suam ditandam devotissimè interesset, quod inquam jam indies fructum illum percipere valens vel Sacrum negligat, vel obiter ac perfunctoriè sine ullo devotionis gustu id celebret vel audiat.

*Memento pro Defunctis.*

**S**i oblationes Deo factæ per elemosynam, jejuniis, aliaque pia opera pro animabus in purgato